

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

M. Tvllii Ciceronis Orationvm Pars ...

Cicero, Marcus Tullius

Coloniae Agrippinae, 1629

Oratio XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-116557](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116557)

DE LEGE AGRA-
RIA CONTRA P. SER-
uiliū Rullū Trib. Pl. in
Senatu.

ORATIO XV.

Defunt multa.

- 1 qua res apertè petebatur, ea nunc occultè cuniculū oppugnatur. dicent enim decemviri id, quod & dicitur à multis, & sæpè dictum est: post eosdem consules, regis Alexandri testamento regnum illud populi Rom. esse factum. dabitū igitur Alexandri amplam petentib. ijs, quibus apertissimè pugnantibus restitit: hanc per deos immortales, utrum esse vobis consilia siccorum, an violentorum somnia: & utrum cogitata sapientum, an optata furiosorum videntur? * Videte nunc proximo capite, ut impurus belluo turpet remp. ut à maioribus nostris possessiones relictas disperdat, & dissipet: ut sit non minus in populi Ro. patrimonio nepos, quam in suo. proscribit in sua lege vectigalia, quæ decemviri vendant: hoc est, proscribit auctiōnem publicorum bonorum: agros emi vult, qui diuidantur: querit pecuniam. videlicet excogitabit aliquid, atque afferet. nam superioribus capitibus dignitas populi Rom. violabatur, nomen

DE LEG. AGR. CON. RVL.

nomen imperij in commune odium orbis terra voca-
 batur: vrbes pacata, agri factorum, regum statu de-
 cemuris donabantur: nunc praesens certa pecunia
 numerata queritur, expecto, quid tribunus pl. vigi- 3
 lans & acutus excogitet, veneat, inquit, sylua Scantia,
 vtrum tandem hanc syluam in relictis possessionibus,
 an in censorum pascuis inuenisti? si quid est, quod in-
 dagari, inueneris, ex tenebris erueris, quanquam in-
 iquum est, tamen consume sanè, quoniam com-
 modum est, quoniam quidem tu attulisti. syluam
 verò tu Scantiam vendas, nobis consulibus, at quo hoc
 senatu? tu vllam vèd gal at: ingas? tu populi Rom.
 subsidia belli, tu ornamenta pacis eripias? tum verò
 hoc me inertiorum consulem iudicabo, quàm illos
 fortissimos viros, qui apud maiores nostros fuerunt:
 quòd, qua vectigalia illis consulibus populo Rom par-
 ta sunt, ea me consule ne retineri quidem potuisse iu- 4
 dicabuntur. * Vendidit Italia possessiones ex ordine
 omnes. sanè est in eo diligens: nullam enim prater-
 mittit: persequitur in tabulis censorijs totam Sicilia-
 am: nullum adficium, nullos agros relinquit. audisti
 auctionem populi Rom. praescriptam à tribuno pleb.
 constitutam in mensem Ianuarium, & credo, non
 dubitasti, quia ita circo hoc ararij causa non vendi-
 derimj, qui armis, & virtute perierunt, vt esset
 quoad nos largitionis causa venderemus. * Videte nùc, 5
 quoad fecerit iter apertius, quàm antea. nam supe-
 riore parte legis quemadmodum Pompeium oppug-
 narent, à me iudicati sunt: nunc iam se ipsi iudica-
 bunt. Iubent venire agros Attalensium atque Olym-
 peno-

ORATIO

penorum: hos populo R. P. Seruiliū, fortissimi viri, victoria adiunxit: deinde agros in Macedonia regios, qui partim T. Flaminij, partim L. Pauli, qui Persen vicit, virtute parti sunt, deinde agrum optimum, & fructuosissimum Corinthium, qui L. Mummij imperio ac felicitate ad vectigalia populi R. adiunctus est: post autem agros in Hispania apud Carthaginem novam duorum Scipionum eximia virtute possessorem ipsam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Africanus nudatam rebus ac moenibus, siue ad notandam Carthaginensium calamitatē, siue ad testificandam nostram victoriā, siue ad oblatā aliquā religionem ad eternam hominum memoriā consecrauit.

6 * his insignibus atque insulis imperij venditis, quibus ornatam vobis maiores vestri temp. tradiderunt, iubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaq. possederit. nūc obscure, videtur prope hasta praconis insectari Cn. Pompeij exercitum, qui venire iubeant eos ipsos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat, atque versetur? * hoc verò eiusmodi est, quod eius auctiois, quā constituit, locum sibi nullum desiniunt? nam decemuiris, quibus in locis ipsis videatur, vendendi potestas lege permittitur, censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu pop. R. non licet: his vendere, vel in vltimis terris licet? at hoc etiam nequissimi homines consumptis patrimonijs faciunt, vt in arrijs auctionarijs potius, quā in triuijs aut in cōpitū auctionetur. hic permittit sua lege decemuiris, vt, in quibus commodum sit tenebris

AUG

DE LEG. ARG. CON. RVL.

aut in qua velint solitudine, bona populi Roma-
 ni possint diuendere. * iam illa omnibus in pro-
 uincijs, regnis, liberis populis quàm acerba, quàm
 formidolosa, quàm quæstiosa concursatio decem-
 uirilis futura sit, non videtis? hereditarium oba-
 undarum causa quibus vos legationes dedistis, qui
 & priuata & priuatum ad negotium exierunt non
 maximis opibus, neque summa auctoritate tradi-
 ti, tamen auditis profecto, quàm graues eorum ad-
 uentus socijs vestris esse soleant. * quamobrem quid
 putatis impendere hac lege omnibus gentibus ter-
 roris & mali, cum mittantur in orbem terrarum
 decem uiri summo cum imperio, summa cum aua-
 ritia, infinitaque omnium rerum cupiditate & que-
 rum cum aduentu graues, cum fascies formidolosi,
 tum verò iudicium ac potestas erit non ferenda:
 licebit enim, quod videbitur, publicum iudicare,
 quod iudicauerint, vendere: etiam illud, quod ho-
 mines sancti non facient, ut pecuniam accipiant,
 ne vendant, tamen id quod ipsum per legem lice-
 bit, hinc vos quas spoliaciones, quas pactiones,
 quam denique in omnibus locis nundinationem iu-
 ris ac fortunarum fore putatis? * etenim, quod supe-
 riora parte legis præfinitum fuit, Sylla & Pompeio
 coss. id rursus liberum, infinitumque fecerunt. iubes
 eosdem decem uiros omnibus agris publicis per grande
 vectigal imponere, ut usdem possint & liberare a-
 gros, quos commodum sit, & quos ipsis libeat, publi-
 care, quo in iudicio perspicere non potest, virum
 seueritas acerbior, an benignitas quæstiosior sit
 futu-

ORATIO

futura. Sunt tamen in tota lege exceptiones duae,
 non tam iniquae, quam suspiciose: excipit de ve-
 ticali imponendo agrum Recentoricum Sicilien-
 sem, in vendendis agris eos agros, de quibus cautum
 sit fœdere. hi sunt in Africa, qui ab Hyempsali possi-
 dentur. * hic quaero, si Hyempsali satis est cautum
 fœdere, & Recentoricus ager priuatus est, quid atti-
 nerit excipi? sin & fœdus illud habet aliquam du-
 bitationem, & ager Recentoricus dicitur nonnun-
 quam esse publicus, quem putet existimaturum duas
 causas in orbem terrarum repectas, quibus grati par-
 ceret? nunc quisnam tam absertus vsquam num-
 mus videtur, quem non architecti huiusce legis olfe-
 cerint? prouincias, ciuitates liberas, socios, amicos,
 reges denique exhauriunt, admovent manus vectiga-
 libus populi Rom. non est satis, * audite vos, qui am-
 plissimo populi, senatusq; iudicio exercitus habuistis,
 & bella gessistis, quod ad quemque peruenit, peruene-
 rit ex praeda, ex manubijs, ex auro coronario, quod
 neque consumptum in monimento, neque in ararium
 relatum sit, id ad decemuiros referri iuber. hoc capite
 multa sperant: in omnes imperatores, haeredesque eo-
 rum questionem suo iudicio comparant: sed maxi-
 mam pecuniam se à fausto ablaturus arbitrantur,
 quam causam suscipere iurati iudices noluerunt,
 hanc isti decemuiros suscipere, iccirco à iudicibus for-
 tasse pratermissam esse arbitramur, quod sit ipsis
 reseruata. * deinde etiam in reliquum tempus dili-
 gentissime sancit, vt quod quisque imperator habeat
 pecunia, protinus ad decemuiros deferat. hic tamen

647

DE LEG. AGR. CON. RVL.

excipit Pompeium, similimè, ve mibi videtur, atque
in illa lege, qua peregrini Rome eijciuntur, Glaucip-
pus excipitur: non enim hac exceptione vnus affici-
tur beneficio, sed vnus priuatur iniuria: sed cui ma-
nubias remittit, huius vectigalia inuadit: iubet ete-
rum pecuniam, si qua post nos consules ex nouis ve-
ctigalibus recipiatur, hac vii decemuiris, quasi verò
non intelligamus, hac eos vectigalia, quæ Cn. Pom-
peius adiunxerit, vendere cogitare. * Videtur iam P. 14
C. omnibus reb. & modis constructam & coacerua-
tam pecuniam decemviralem. minuetur huius pecu-
nia inuidia: consumetur enim in agrorum emptioni-
bus optimè. quis ergo emet agros istos? idem decem-
uir: tu Rulle (missos enim facio ceteros) emes, quos
voles: vendas, quos voles: vtrumque horum facies
quanti voles: cauet enim vir optimus ne, emat ab in-
uito, quasi verò non intelligamus, ab inuito emere
iniuriosum esse: à non inuito quaestuosum. quantum
tibi agri vendet, vt alios omittam, socer tuus? & si
ego eius aequitatem animi probè noui, vendet non in-
uitus. facient idem ceteri libenter, vt possessionis in-
uidiam pecunia commutent: accipiant, quod cupi-
unt: dent, quod retinere vix possunt. * Nunc prospice
15
cunctarum rerum infinitam, atque intolerandam
licentiam, pecunia coacta est ad agros emendas: ÷
porrò ab inuitis non ementur. si consenserint pos-
sessores non vendere, quid futurum est? referretur pe-
cunia? non licet: exigeretur? vetat. verum esto: nihil
est, quod non emi possit, si tantum des, quantum ve-
lit venditor. spoliemus orbem terrarum, vendamus

ORATIO

16 vestigalia, effundamus ararium, vt locupletati aut
 inuidia, aut pestilentia possessoribus, agri tamen e-
 mantur. * quid tum? qua erit in istos agros deductio?
 qua totius reuolutio, atque descriptio? deducentur,
 inquit, colonia: quid? quorum hominum? in qua loca?
 quis enim non videt, in colonijs esse hac omnia con-
 sideranda? tibi nos, Rullo, & istis tuis harum omni-
 um rerum machinatoribus, totam Italiam in-
 crem tradituros existimasti, quam praesidijs confir-
 maretis, colonijs occuparetis, omnibus vinculis de-
 uinctam, & constrictam teneretis? vbi enim caue-
 tur, ne laniculo coloniam constituatis? ne urbem hanc
 vrbe alia premere, atque vrgere possit? non facie-
 mus, inquit, primum nescio: deinde timeo: postremo
 non committam, vt vestro beneficio potius, quam
 17 nostro consilio, salui esse possimus. * Quod verò to-
 tam Italiam vestris colonijs complere voluistis, id
 cuiusmodi esset, neminem nostram intellecturum
 existimatis? scriptum est enim, que in municipia,
 quasque in colonias decemviri velint, deducant co-
 lonos, quos velint, & ijs agros assignent, quibus in lo-
 cis velint: vt, cum totam Italiam militibus suis occu-
 parint, vobis non modò dignitati retinenda, sed ne
 libertatis quidem recuperanda spes relinquatur.
 atque hac à me suspicionibus, & coniectura coar-
 18 guantur. * Iam omnis omnium tolletur error: iam
 apertè ostendent, sibi nomen huius reipub. sedem vr-
 bis atque imperij, denique hoc templum Iouis Optimi
 Maximi, atque hanc arcem omnium gentium displi-
 cere, Capuam deduci colonos volunt. illam urbem
 huius

DE LIC

hincitur in
 impiorum
 tollerantia
 non, superbia
 nostri coloni
 ri, coluam
 retri dignita
 detate ferre
 deffe infle
 firi Capua
 mune, con
 neque aliud
 liquerunt
 mentis,
 pissime red
 quid reipub
 tur, vrbem
 vos hac, ni
 bu non am
 pernicofa
 dum est
 lem ipsam
 esse ex Ca
 non prop
 mitur. at
 nam helle
 videri se
 sunt, acco
 tm hanc
 qua, qua

DE LEG. AGR. CONT. RVL.

huic vrbi rursus opponere, huc opes suas deferre, & imperij nomen transferre cogitant, qui lacus, propter vbertatem agrorum, abundantiamq; rerum omnium, superbiam, & crudelitatem genuisse dicitur: ibi nostri coloni, delecti ad omne facinus, à decemuiris, collocabuntur. & credo, qua in vrbe homines in veteri dignitate, fortunaq; nati copiam rerum moderate ferre nõ potuerunt, in ea isti vestri satellites moderate insolentiam suam continebant. * maiores nostri Capua magistratus, senatum, consilium commune, omnia denique insignia reipub. sustulerunt, neque aliud quicquam nisi inane nomen Capua reliquerunt: non crudelitate (quid enim illis fuit clementias, qui etiam externis hostibus victis sua sapissimè reddiderunt?) sed consilio, quod videbant, si quod reipublica vestigium illis mœnibus contineretur, urbem ipsam imperio domicilium prabere possent. vos hæc, nisi euertere rempublicam cuperetur, ac vobis nouam dominationem comparare, credo quam perniciosa essent, non videretis. * quid enim cauedum est in colonijs deducendis? si luxuries, Annibalem ipsum Capua corrupit? si superbia, nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur? si præsidium, non præsponitur huic vrbi ista colonia, sed opponitur: at quemadmodum armatur? dij immortales? nam bello Punico quicquid potuit Capua, potuit ipsa per sese: nunc omnes vrbes, quæ circum Capuam sunt, à colonis per eosdem decemuiros occupabuntur: hanc enim ob causam permittit ipsa lex, & omnia, quæ velint, oppida colonos vt decemuiros deducant,

ORATIO

cant, quos velint. atque his colonū agrum Campa-
 21 nam & Stellatam campum diuidi iuber. * non que-
 ror diminutionem vectigalium, non flagitium huius
 iacturae atque damni: praetermitto illa. quae nemo est
 quin grauissimè & verissimè conqueri possit, nos cap-
 put patrimonij publici, pulcherrimam populi Romi
 possessionem, subsidium annonae, horreum belli, sub
 signo claustrisque reip. positum vectigal seruare non
 potuisse: eum denique nos agrum P. Rullo concessisse,
 qui ager ipse per sese & Syllanae dominationi, &
 Gracchorum largitioni restitisset. non dico solum hoc
 in rep. vectigal esse, quod amissis alijs remaneat, in-
 termisus non conuiescat, in pace niteat, in bello non
 obsolescat, militem sustentet, hostem non pertimes-
 cat: praetermitto omnem hanc orationem, & con-
 22 cioni referuo: de periculo salutis ac libertatis loquor:
 * quid enim estimatis integrum vobis in rep. fore,
 aut in vestra libertate, ac dignitate retinendum, cum
 Rullus, atque hī, quos multo magis quàm Rullum ti-
 metis, cum omni egentium atque improborum ma-
 nu, cum omnibus copijs, cum omni argento, & auro
 Capuam occuparint? his ego rebus P. C. resistam ve-
 hementer atque acriter, neque patiar homines ea me
 consule expromere, quae contra remp. diu cogitarunt.
 23 * Errastis, Rulle, vehementer, & tu, & nonnulli col-
 lega tui, qui speratis vos contra consulem, veritate, nō
 ostentatione popularem, posse in euertenda rep. po-
 pulares existimari. Lacesso vos, in concionem voco:
 populo Ro. disceptatore vti volo. etenim, vt circum-
 spiciamus omnia, quae populo gratia atque iucunda
 sunt,

DE LEGE AGR. CON. RVL.

sunt, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam ocium, reperiemus: sollicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus & concionibus, & seditionibus tradidistis: spem improbis ostendistis, timorem bonis inieicistis: fidem de foro, dignitatem de rep. sustulastis. * 24
 hoc motu atque hac perturbatio animorum, atque rerum cum populo Rom. vox, & auctoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit: cum ostenderit nihil esse metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam venditionem v. & g. alium, nullum imperium novum, nullam regnum decemvirale, nullam alteram Romam, neque aliam sedem imperij nobis consulibus futuram, summamque tranquillitatem pacis atque ocij: verendum, credo, nobis erit, ne vestra ista praclara lex Agraria magis popularis esse videatur: * cum verò scelerata consiliorum vestrorum, fraudemque legis & infidias, qua ipsi populo Rom. à popularibus tribunus pleb. fiant, ostendero; pertimescam, credo, ne mihi non liceat contra vos in concione consistere, praesertim cum mihi deliberatum & constitutum sit, ita gerere consulatum, quo vno modo geri grauitur & liberè potest, vt neque prouinciam, neque honorem, neque ornamentum aliquod, aut commodum, neque rem vllam, qua à tribunopl. impediri possit, appetiturus sim. * dicit frequentissimo senatu consul Kalend. Ian. sese, si status hic reip. maneat, neque aliud negotium extitit erit, quòd honestè subterfugere non posset, in prouinciam non iturum sic
 me

ORATIO

me in hoc magistratu geram P.C. ut possim tribunum
 pl. reip. iratum coercere, mihi iratum contemnere.
 quamobrem per deos immortales, colligite vos tribuni
 pl. deserite eos, à quibus, nisi prospiciti, brevi tempore
 deferemini: conspirate nobiscum, consentite cum bo-
 nis: communem rem. communi studio atque amore
 defendite. multa sunt occulta reip. vulnera, multa
 nefariorum civium perniciosa consilia: nullam exter-
 num periculum est: non rex, non gens vlla, non natio
 pertimescenda est. inclusum malum, incestinum, ac
 domesticum est. huic pro se quisque nostrum mederi,
 27 atque hoc omnes sanare velle debemus. erratis, si sena-
 tum probare ea, quae dicuntur à me, putatis, populum
 autem esse in alia voluntate omnes, qui se incolumes
 vident, sequentur auctoritatem consules soluti à cupi-
 ditatibus, liberi à delictis, cuncti in periculis, non timi-
 di in contentionibus, quod si quis vestrum spe ducitur,
 se posse turbulenta ratione honori vilisari suo: pri-
 mum me consule id sperare desinat, deinde habeat
 me ipsum sibi documento, quem equestri ortum loco
 consulem videt, qua vita via facillimè viros bonos ad
 honorem dignitatemque perducatur, quod si vos vestrum
 mihi studium P.C. ad communem dignitatem defen-
 dendam profiteremini: perficiam profecto, id quod ma-
 ximè resp. desiderat, ut huius ordinis auctoritas, quae
 apud maiores nostros fuit, eadem nunc longo
 interuallo reip. restituta esse
 videatur.

DE